

quo decet, studio, expendat, & id operam det, ut rem, de qua quaestio est, accuratè cognoscat, si insuper accurato polleat iudicio; animadvertat aliquid, quod alii, rationum momentis non satis ponderatis, invenire non potuerunt, quò in casu, cur quis non velit propria opinione & ratione niti in formando conscientiae probabilis iudicio, nihil causae est. Cavendum tamen est, ne quis ita suae opinioni inhæreat, ut levi de causa aliorum sententias rejiciat.

§. 23. Nihilominus tamen doctus formare etiam potest iudicium opinativae conscientiae ex opinione aliena, v.g. quam Doctores in universum omnes, vel aliqui, praestantiores tamen, amplectuntur: Et si enim rationem suam, ex qua formandum est iudicium, deprehendit valdè probabilem, subinde tamen cogitat, tot Doctorum auctoritati aliquid deferendum, & in eorum prius, quàm proprio iudicio acquiescendum esse, cum aliàs accurate de rebus iudicare consueverint, neque hoc modo iudicium conscientiae opinativae formare tantùm licitum est, sed prudenter etiam quandoq; facit homo doctus, si suo iudicium aliorum praeponat. Hinc Azorius l. 2. Instit. Mor. c. 13. *ut plurimum*, inquit, *Doctorum opinio in rebus agendis est anteponenda*. Hoc tamen non est eò trahendum, quod conscientia opinativa illicò in sententiâ plurium acquiescere possit aut debeat, cum fieri possit, ut major pars vincat meliorem. Sed quid dicendum, si iudiciû opinativae conscientiae sit formandum ex opinione aliorum, ubi autores numero pares sunt? Resp. Conscientia opinativa tali in casu meritò tutiorem opinionem sequitur.

§. 24. Si homo est indoctus, aut in negotio, de quò quaestio est, parum peritus aut exercitatus, & formare vult iudicium conscientiae probabilis, rectissimè sibi consulit, si sequatur opinionem alienam, quæ probabilis ipsi videtur, & quam probari videt à doctis, probis atque peritis: cum enim ipse de rationibus, an probabiles satis sint, & tutæ insuper, satis iudicare non possit, satius est, si nitatur in iudicio formando aliorum opinione, quàm si temerè iudicium aliquod formet.

§. 25. Sed quærat quis, quid homini indocto agendum, si plures inveniat opiniones doctorum, quæ pares sint sive numero sive auctoritate doctorum, quænam hîc præferenda? Resp. illa est præferenda, quæ magis religioni, pietati & juri favet. Vid. Azor. l. 2. Instit. Mor. c. 15.

§. 26. Observanda hîc etiam est distinctio inter Magistratum sive superiorem & subditum, sive inferiorem à superiore dependentem. Magistratus vel superior, si doctus vel rerum satis peritus sit, sive suam,  
sive